1530. E 26 9bris

# Sigismundus primus Rex Poloniae Carolo quinto Romano Imperatori

57

Serenissime ac excellentissime Princeps et Domine frater et consanguinee noster Charissime ac honorande. Declaravit nobis Illustris Dominus Georgius Marchio Brandeburgensis nepos ex sorore noster charissimus quam claris argumentis et privatim et publice de iure suo ad Ducatum Opoliensem, et Raciborienensem bono veterique donatione et Privilegiis, legitimisque adminiculis firmata docuerit, quodque super eo iure et ante quorumcunque virorum non ex affectu iudicantium, iudicium suscipere noluerit, et nunc in Conventu augustensi proximo praeterito omnem causam suam ad arbitrium Serenissimae et Excellentissimae Maiestatis vestrae et Illustrissimorum Principum Electorum et aliorum Sacri Romani Imperij Ordinum detulerit, quod denique in gratiam Serenissimi Domini Regis Ferdinandi et Illustris Domini Ducis Opoliensis

Opoliensis, et ut bona Pax et Concordia servetur non amplius pro hoc ipso iure suo dari sibi a Serenissimo Rege Ferdinando postulaverit quam ducenta millia aureorum Hungaricalium, tametsi ducatus prenominatus duplo amplius estimari posse intelligat, preter pecuniam etiam numeratam, Clenodia ciuitates & districtus, atque Castra partim ipsius Domini ducis propria partim illi pignore obligata, que omnia extra suspendi cenceri & esse, ad seque iure optimo per successionem devolvi debere ipse Dominus Marchio probat. Ea tamen àse proposita, et oblata sibi non processisse, neque à maiestate vestra Serenissima suscepta esse. Non tam id quidem ut ipse atumat Serenissimi Regis Ferdinandi voluntate quam suorum quorundam male volorum persvasione & opera ex quibus tametsi datam sibi occasionem conquerendi et hibernis etiam expostulandi Dominus Marchio putet. Quia tamen suis rationibus gratiam Serenissime maiestatis vestre et Serenissimi Domini Regis Ferdinandi preferre studet, maluit in hac re adhuc Patrocinio et intercessione nostra, uti quam in molestiam & perturbationem aliquam extremam se conicere. Quare nos & postula:

tione,